

AUSONE

CENTO NUPTIALIS (134 vers)

PRAEFATIO

C_1 v.1 Accipite haec animis laetasque advertite mentes,
 2 ambo animis, ambo insignes praestantibus armis ;
 3 ambo florentes, genus insuperabile bello.
 4 Tuque prior, nam te majoribus ire per altum
 5 auspiciis manifesta fides, quo justior alter
 6 nec pietate fuit nec bello major et armis ;
 7 tuque puerque tuus, magnae spes altera Romae,
 8 flos veterum virtusque virum, mea maxima cura,
 9 nomine avum referens, animo manibusque parentem.
 10 Non injussa cano. Sua cuique exorsa laborem
 11 fortunamque ferent : mihi jussa capessere fas est.

CENA NVPTIALIS

C_2 v.1 Exspectata dies aderat dignisque hymenaeis
 2 matres atque viri, juvenes ante ora parentum
 3 conveniunt stratoque super discumbitur ostro.
 4 Dant famuli manibus lymphas onerantque canistris
 5 dona laboratae Cereris pinguisque ferinae
 6 viscera tosta ferunt. Series longissima rerum :
 7 alituum pecudumque genus capreaeque sequaces
 8 non absunt illic neque oves haedique petulci
 9 et genus aequoreum, dammae cervique fugaces.
 10 Ante oculos interque manus sunt mitia poma.
 11 Postquam exempta fames et amor compressus edendi,
 12 crateras magnos statuunt Bacchumque ministrant.
 13 Sacra canunt, plaudunt choreas et carmina dicunt.
 14 Nec non Thraeicius longa cum veste sacerdos
 15 obloquitur numeris septem discrimina vocum.
 16 At parte ex alia biforem dat tibia cantum.
 17 Omnibus una quies operum cunctique relictis
 18 consurgunt mensis : per limina laeta frequentes
 19 discurrunt variantque vices, populusque patresque,
 20 matronae, pueri, vocemque per ampla volutant
 21 atria : dependent lychni laquearibus aureis.

DESCRIPTIO EGREDIENTIS SPONSAE

C_33 v.1 Tandem progreditur Veneris justissima cura,
 2 jam matura viro, jam plenis nubilis annis,
 3 virginis os habitumque gerens, cui plurimus ignem
 4 subjecit rubor et calefacta per ora cucurrit,
 5 intentos volvens oculos, uritque videndo.
 6 Illam omnis tectis agrisque effusa juvenus
 7 turbaque miratur matrum. Vestigia primi
 8 alba pedis, dederatque comam diffundere ventis.
 9 Fert picturatas auri subtemine vestes,
 10 ornatus Argivae Helenae : qualisque videri
 11 caelicolis et quanta solet Venus aurea contra,
 12 talis erat species, talem se laeta ferebat
 13 ad soceros solioque alte subnixa resedit.

DESCRIPTIO EGREDIENTIS SPONSI

C_4 v.1 At parte ex alia foribus sese intulit altis
 2 ora puer prima signans intonsa juventa,
 3 pictus acu chlamydem auratam, quam plurima circum
 4 purpura maeandro duplici Meliboea cucurrit,
 5 et tunicam, molli mater quam neverat auro :
 6 os umerosque deo similis lumenque juventae.
 7 Qualis, ubi oceani perfusus Lucifer unda,
 8 extulit os sacrum caelo : sic ora ferebat,
 9 sic oculos cursuque amens ad limina tendit.
 10 Illum turbat amor figitque in virgine vultus ;
 11 oscula libavit dextramque amplexus inhaesit.

OBLATIO MVNERVM

C_5 v.1 Incedunt pueri pariterque ante ora parentum
 2 dona ferunt, pallam signis auroque rigentem,
 3 munera portantes aurique eborisque talenta
 4 et sellam et pictum croceo velamen acantho,
 5 ingens argentum mensis colloque monile
 6 bacatum et duplicem gemmis auroque coronam.
 7 Olli serva datur geminique sub ubere nati :
 8 quattuor huic juvenes totidem innuptaeque puellae :
 9 omnibus in morem tonsa coma ; pectore summo
 10 flexilis obtorti per collum circulus auri.

EPITHALAMIVM VTRIQVE

C_6 v.1 Tum studio effusae matres ad limina ducunt ;
 2 at chorus aequalis, pueri innuptaeque puellae,
 3 versibus incomptis ludunt et carmina dicunt :
 4 "O digno conjuncta viro, gratissima conjunx,
 5 sis felix, primos Lucinae experta labores
 6 et mater. Cape Maeonii carchesia Bacchi.
 7 Sparge, marite, nuces ; cinge haec altaria vitta,
 8 flos veterum virtusque virum : tibi ducitur uxor,
 9 omnes ut tecum meritis pro talibus annos
 10 exigat et pulchra faciat te prole parentem.
 11 Fortunati ambo, si quid pia numina possunt,
 12 vivite felices". Dixerunt "currere" fuis
 13 concordem stabili fatorum numine Parcae.

INGRESSVS IN CVBICVLVM

C_7 v.1 Postquam est in thalami pendentia pumice tecta
 2 perventum, licito tandem sermone fruuntur.
 3 Congressi jungunt dextras stratisque reponunt.
 4 At Cytherea novas artes et pronuba Juno
 5 sollicitat suadetque ignota lacessere bella.
 6 Ille ubi complexu molli fovet, atque repente
 7 accepit solitam flammam lectumque jugalem :
 8 "O virgo, nova mi facies, gratissima conjunx,
 9 venisti tandem, mea sola et sera voluptas.
 10 O dulcis conjunx, non haec sine numine divum
 11 proveniunt : placitone etiam pugnabis amori ? "
 12 Talia dicentem jamdudum aversa tuetur
 13 cunctaturque metu telumque instare tremiscit
 14 spemque metumque inter funditque has ore loquellas :
 15 "Per te, per, qui te talem genuere, parentes,
 16 o formose puer, noctem non amplius unam

17 hanc tu, oro, solare inopem et miserere precantis.
 18 Succidimus : non lingua valet, non corpore notae
 19 sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur".
 20 Ille autem : "Causas nequiquam nectis inanes",
 21 praecipitatque moras omnes solvitque pudorem.

PARECBASIS

C_8

[oratio soluta]

IMMINVTIO

C_9

v.1 Postquam congressi sola sub nocte per umbram
 2 et mentem Venus ipsa dedit, nova proelia temptant.
 3 Tollit se arrectum : conantem plurima frustra
 4 occupat os faciemque, pedem pede fervidus urget,
 5 perfidus alta petens : ramum, qui veste latebat,
 6 sanguineis ebulli bacis minioque rubentem
 7 nudato capite et pedibus per mutua nexis,
 8 monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
 9 eripit a femine et trepidanti fervidus instat.
 10 Est in secessu, tenuis quo semita ducit,
 11 ignea rima micans : exhalat opaca mephitim.
 12 Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
 13 Hic specus horrendum : talis sese halitus atris
 14 faucibus effundens nares contingit odore.
 15 Huc juvenis nota fertur regione viarum
 16 et super incumbens nodis et cortice crudo
 17 intorquet summis adnixus viribus hastam.
 18 Haesit virgineumque alte bibit acta cruorem.
 19 Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.
 20 Illa manu moriens telum trahit, ossa sed inter
 21 altius ad vivum persedit vulnere mucro.
 22 Ter sese attollens cubitoque innixa levavit,
 23 ter revoluta toro est. Manet imperterritus ille.
 24 Nec mora nec requies : clavumque affixus et haerens
 25 nusquam amittebat oculosque sub astra tenebat.
 26 Itque reditque viam totiens uteroque recusso
 27 transadigit costas et pectine pulsat eburno.
 28 Jamque fere spatio extremo fessique sub ipsam
 29 finem adventabant : tum creber anhelitus artus
 30 aridaque ora quatit, sudor fluit undique rivis,
 31 labitur exsanguis, destillat ab inguine virus.

PAULO EPISTULARUM CLAUSULA

C_10

v.1 Contentus esto, Paule mi,
 2 lasciva, Paule, pagina :
 3 ridere, nil ultra expeto.